12.

Q. D. B. V!

VNGARICA

Publice explicabunt

CONRADVS SAMVEL SCHVRZFLEISCHIVS,

et

ANDREAS ECCARD, VNGARVS.

die 26. Octobr. ANNO cIↃ IↃc LXXII.

In Auditorio Maiori.

CVM PRIVILEGIO EL. SAXON.

Diſputatio XII.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM.
cIↃ IↃc XCIIX.

I.

REgnum, qvod Vngaricum appellatur, primi Pannones * tenuerunt, viribus ſuis eo usqve innixi olim, ut nemo ante Auguſtum ſubigere, nemo alius recipere in veteris imperii fidem poſſet.

* *Gravem ſententiae teſtem adducimus Appianum Alexandrinum eo libro, qvem compoſuit de bellis Illyricis, qvo comprobat, Pannones Illyricorum gente ortos fuiſſe. Graecis, ut idem auctor eſt Paeones dicebantur, qva notione expreſſerunt ſeculo I. Strabo l. 7. ed. Baſil. Ovidius et Martialis; ſec. III. Philoſtratus, l. 8. de vit. Apollon. ſec. V. Zoſimus. Nec enim Graecis ignoti eſſe poterant, qvi ad Graecorum usqve fines porrigebantur, Strab. l. all. p. 365. Nec deſunt Appiano argumenta, qvod Pannones ſub Macedonum regibus ſtipendia feciſſent. Neqve tamen id eo ſpectat, ut Paeones Macedoniae populos intelligamus, qvippe qvi multum differunt a Paeonibus noſtris, Ioannes Nadanyus Fl. Hung. p. 17. qvi ex hac cauſa redarguit Dionem Caſſium. Horumqve antiqvitus tanta fama fuit, ut univerſam Italiam perculerint ingenti metu, Appianus p. 1202. Qvo allegat commentarios Auguſti Caeſaris, ut qvi ſic memoriae tradidiſſet de his gentibus. Appiani ſententiam in medio relinqvit Antonius Bonfinius, rerum Vngaricarum, ut Thuanus l. X. Hiſt. appellat, ſcriptor luculentus, dec. 1. l. 1. p. 20. Impenſe errat Ioannes Sambucus qvi a Bannone velut primo rege hoc regnum auſpicatur, idqve ſub annum a Noachica aqvarum eluvione CLV. Tum vero eum deducit a ſtirpe Semi contra omnes hiſtoriae ſacrae rationes. Id ſaltem docet nobiſcum recte, et probat Pannonas usqve ad Auguſtum fuiſſe ſuae ſponte, et vixiſſe liberos, nec aliis, qvam ſuis legibus uſos, app. p. 829. De Pannoniae diviſione in ſuperiorem et inferiorem vid. Claudius Ptolomaeus l 2. cap. 15. Iac. Aug. Thuanus l. 10. Hiſt. ad A. 1551. Nadanyus l. 1. cap. 5. Iamqve diu ante Tacitus Pannonias notione plurium indicavit, de Germ. Mor. I. 1. Vellei. H. II. 110. Rufus Feſtus in brev. ad Valentin. Imp. Pannoniarum duas vocavit. Caſpar Ens a Danubio in cis- et trans-danubianam partitur: hanc primam, illam*

 ſecun-

ſecundam cognominat, eaqve freqvens etiamnum, et ſubinde in regni tabulis uſurpata diviſio eſt. Conf. articuli pacis A. 1606. corpori articul. univerſ. regni Hung. inſerti. et A. 1668. evulgati.

II. Simulatqve vero lapſa Romanorum res eſt, barbari verſis ad dominatum animis, provincias * Romanorum invaſerunt, maiori prae ceteris audacia Vandali, qvi ut nihil non experirentur, a Conſtantino oraverunt ſedes, ** qvas qvum impetraſſent, iam velut cedendo ſecuri, brevi poſt in maius periculum venerunt, commotis ad expeditionem Gothis, qvos fugerant hactenus, ut maiori impetu fugarentur.

* *Pannonia ab Auguſto ad obſeqvium, a Tiberio in provinciam redacta, alterum ex Appiano, alterum ex Svetonio, cui declarando afferimus Rufum Feſtum, evincimus. Ille,* Batonem, *inqvit, Pannonium* Ducem ingentibus donatum praemiis, Ravennam tranſtulit: etc. *Vbi nemo non videt, cur utatur* transferendi *vocabulo, qvippe qvod eo valet, qvo conſtet, regno deſtitutum fuiſſe Batonem, et ſupremum adeo in regnum illud ius ac poteſtatem Tiberio ceſſiſſe. Qvod de praemiis donato refert, id pertinet ad ſimulacra imperantium, qvi uſurpant haec calliditatis inſtrumenta, ut victi ſervitutem aeqvius ferant. Nullus dubitationi locus eſt, ſi, qvod nunc res monet, Rufum Feſtum inſpiciamus. Hic vero ait. Batone (alii Battone, aut Bathone) Pannoniorum rege, ſubacto, in ditionem noſtram Pannoniae (ſuperior et inferior) venerunt. Haud ſcio, an qvid dicere evidentius potuerit Rufus Feſtus. Nec tamen ignoro, Dioni Batonem eſſe Dalmatiae regulum: at fecerim hic libentius cum Svetonio, tum qvia propioris aevi, tum qvia ſanctiorum epiſtolarum magiſtro apud Adrianum, qvi nec negligenter, et de induſtria exeqvitur hanc hiſtoriae partem. Dionem, ut ſolet, ſeqvitur Xiphilinus edit. Henric. Steph. qvi qvod nos de Pannonia, idem de Dalmatis extulit.* Δαλματία προσεχώρησε τοῖς ῥωμαίοις. *Poſſet qvis ſuſpicari hic, aut iuncta Pannoniae Dalmatiaeqve regna, aut reges diverſos unius nominis fuiſſe, cum de Batonis illo certum ſit, populare inter Pannones fuiſſe, ut ſignant monumenta veterum inſcriptionum.*

** *Iornandes de reb. Get. p. 102. breviter ſtrictimqve explicat hoc, unde repetunt rerum Hungaricarum ſcriptores, Antonius Bonfinius dec.*

decad. 1. l. 2. p. 39. Ioannes Sambucus p. 829. qvorum qvidem ille liberius, iſte hoc loco certius definit annos, qvibus Vandali in Pannonia commorati ſunt, qvod intelliget, qvi utrosqve iudicabit ex Iornande allegato. Coniecto autem, Bonfinium auctoritate Sigeberti Gemblacenſis deceptum, qvi exiſtimat, LX. annis habitaſſe Pannoniam Vandalos, Chronograph. p. 479. edit. Piſtor.

III. Gothi, qvos ſive ſua immanitas, ſive regnandi ſpes induxerat, non manendum rati, ubi migrandi ratio eſſet exactis ab eo tempore, qvo Vandali Pannonias ingreſſi erant, qvadraginta annis, iter una et ſigna parant, ducturi in Vandalos, qvi, ut evenire his rebus ſolet, metu correpti, recedere, qvam occurrere periculo maluerunt. *

* *Compendiariam Vandalorum hiſtoriam fecit Iſidorus Hiſpalenſis, cum qvo conf. Ioannes Gerundinenſis Gothus, Idacius Lemicenſis, a Ioſepho Scaligero editi. Diſceſſiſſe ex Pannonia ob Gothorum metum, confirmat Iornandes de reb. Get. p. 111. Sambucus confidenter memorat, Vandalos a Gothis exturbatos eſſe. conf. Matth. a Michou de Sarmat. Aſian. l. 1. cap. 10. Marcus Aurelius Caſſiodorus in Arcad. et Honor. prodidit, Vandalos Alanis iunctos, Galliam intraviſſe. Bonfinius iterum ſeqvitur Sigebertum, nec repugno, qvod Paullus Diaconus qvoqve ſcripſerit, a Stilicone Vandalae ſtirpis homine, eodemqve Honorii praefecto ſuſcitatos, in Galliam irent, vaſtarentqve omnia et dividerent ferro. Qvae dum inter Vandalos, Gothosqve agebantur, Pannones illius regionis Aborigines, tot infeſtis migrationibus turbati ſaepe exciſiqve nomen ſaltem ſucceſſoribus reliqverunt. De Vandalis alioqvi et Gothis omnes ſcire arbitror, modo amicos, modo hoſtes, ut amicitiae mortales ſunt, fuiſſe. De foederibus utrorumqve vid. Procopius, Eutropius, Zoſimus, Ado Viennenſis, aliiqve. Ad Gothorum hiſtoriam addimus, ante Illyricum vaſtaſſe, qvam infeſta ſigna in Pannoniam intuliſſent. Euſebius Chron. lib. poſt p. 176. Prior enim illa irruptio incidit in A. C. 271. poſterior in A. C. 382. Reliqva huius argumenti proſeqvimur iuſto commentario in rebus Sveo Gothicis.*

IV. Nihilo ſecius Hunnis * in turbido conſilium erat, qvorum ferocia crevit exemplo, evaſitqve eo ut vel ad ſolam nominis Hunnici mentionem inhorreſcerent Romani,

ni, tanto magis, qvod impetum adiuvaret fortuna, Gothosqve vigore pariter et fortitudine mirabiles Pannonia exturbarent.

* *Hunni Euſebio Chunni, Chr. lib. prior: aliis, praecipue Vngaris Vnni, ut apud Bonſinium eſt, ſcripti extant. Origo per fabulas explicata eſt a Iornande de reb. Get. p. 103. 104. qvem ſeqvitur Sigebertus Gemblacenſis Chronograph. p. 481. Io. Olaus Hiſt. l. 6. cap. 24 Nam ratione careat, qvisqvis credit, Hunnos ex Getarum Alirunis a Faunis, ſive hominibus ſylveſtribus compreſſis natos eſſe. Alirunae qvales fuerint, reperire eſt apud Saxonem Sialandicum Olaum VVormium et Iornandem dicto loco. Cuius gentis Hunni fuerint, faciunt docti, ut diſceptetur. Albertus Crantzius Vandal. l. 6. cap. 5. Hunnorum perinde, ac Vandalorum veſtigia extare in Germania affirmat. Neqve id inficiari auſim, ſi certum ſit, Hunnos a Gothis procreatos eſſe, qvod placet Ioanni Magno l. 6. hiſt. Goth. Sveon. c. 24. Alii pro Sarmatis habent, cuiusmodi opinio tribuitur Ptolomaeo, ut enarrat Elias Reisnerus p. 207. de Miſen. Et fortean non diſſentit Melchior Goldaſtus, qvi Huno-Slavicum componit una voce, l. 1. c. 5. p. 47. de reg. Boh. Qvi nobis Hunni, multis Avares dicuntur, V. Aimoinus l. 3. cap. 11. Paulus VVarnefridi de geſt. Langobard. l. 2. p. 224. Eginhardus de vit. Carol. M. cap. 3. Diſtingvuntur Hunni in Aſianos, et Europaeos, de qvibus eſt apud Procop. l. 5. Matthias a Michou refert, alios in Scythia conſediſſe, alios in eam regionem, qvae nunc Vngaria audit, profectos eſſe, de Sarmat. Aſian. l. 1. cap 14. De Hunnorum prima expeditione notum eſt, neqve id nunc probari attinet, incidiſſe in IV. a N. C. ſec. annus memoratur 370. Ioannes Nadanyus l. 1. cap. 8. Eorum poſteros eſſe Vngaros, plures et egregio ingenio viri tradunt, Antonius Bonſinius rer. Vng. decad. 1. l. 2. a principio Abrahamus Bakſchay de ingreſſu Hunnorum in Pann. ſub initium, et ex mente aliorum Michael Ritius de regibus Hungar. Io. Matth. a Sudetis de origine Bohem. Nec abludit multum Elias Reusnerus: diſſentit ab his Ioannes Aventinus l. 14. Annal. Boi. Iacobus Spigelius, noviſſime Georgius Hornius, et H. Conringius, qvibus ut aſtipulemur, multae ſunt cauſae, qvae nos hortantur. Sed in praeſens ſatis eſt, breve Vandalorum, Gothorum Hunnorumqve in Pannonia imperium oſtendiſſe: cuius rei ſignificationem dare voluit Paulus Iovius Hiſt. l 1. edit. Baſ. p. mihi 2. Summatimqve id complexus eſt Sebaſtianus Munſterus in app. Geographic. Ptolomaeo addit. pag. 175.*

V. Sed

V. Sed haud multo poſt ad ingenium redibant Gothi, et redintegratis paulo viribus occaſione utebantur praeclare exiſtimantes, ex uſu ſuo fore civile Hunnorum * bellum, qvod niſi hos effeciſſet miſeros, forte procul metu fuiſſent, ſuffecturi omnibus, qvi laceſſerent, praecipue iis, qvi ereptum Pannoniae regnum vellent. At vero, qvod inteſtinae diſcordiae malum eſt, res ipſorum iam in eum devenerant locum; ut, qvando corrigi non poſſent, imprudentiam ſeu turpi exilio, ſive ſervitute luerent, pro futuro poſteris exemplo ſervandae concordiae atqve domeſticae tranqvillitatis.

* *In compendio deſcribunt Abra. Bakſchay de ingreſſ. Hunnor: in Pannon. Io. Sambucus App. 829. Michael Ritius de reg. Vngar. ex veteribus Iornandes de reb. Get. p. 132. 133. 135. Paulus Diaconus autor eſt, Oſtrogothos ſtatim ab Attilae exceſſu turbaſſe, nec filiorum aeqve, ac patris, imperium ferre voluiſſe, p. mih. 372. Obvium in hoc Attila eſt exemplum affectati in omnes reges principesqve dominatus, qvam iniuſti, tam foedi exitu, et minime diuturni. Diſerte Iornandes.* Attila Hunnorum omnium dominus, et poene totius Scythiae gentium ſolus in mundo regnator. *Qvo nil aliud conſecutus eſt, qvam ut tot regna male parta omnibus gentibus qvaſi offerret in praedam, nec eſſet qviſqvam qvi moderate ſentiret de transgreſſo omnis moderationis leges. Auſpicabantur egregium facinus Gothi, et primi excutiebant iugum, ac libertatem reſtaurabant. Qvod vellem, in omnium Principum animos deſcenderet, qvo ius, bonum aeqvumqve Dei et gentium cauſa, curent recte atqve id unum ſtudeant gnaviter, ne VNVS OMNIBVS imperitet. Providebunt ſane Gothi, Cimbri Teutonesqve ne qvis hanc nobis extorqveat felicitatem, ut ſine periculo imperia, nos pace vigeamus.*

** *Nil Attilae filiis reſtabat, qvam ut male conſulerent ſibi, dividerentqve imperium, qvo perderent, perderent vero, ut ſimul ipſi perirent. Nempe ita Deus mulctat crudelis atqve efferati regis filios, ut non intelligant, qvibus rebus aut evertant ſua, aut conſervent. Disſidebant ſinguli, ut univerſi opprimerentur. Regnare omnes volebant, ut omnes in exitium ruerent. Triſte ſpectaculum, et diſpar ſuperiori fortunae, qvae affulſerat Attilae patri, ac revocandum adeo in mentem illis, qvi neqve deſinunt, neqve conqvieſcunt, donec exemplo fuerint perinde triſti, et cuius miſereat omnes bonos.*

bonos. Qvod ad genus Attilae ſpectat, fabulas pleriqve immiſcent: qvale eſt illud, qvod Michael Ritius l. 1. de reg. Vng. ſcribit, Attilam accepiſſe in matrimonium Ducis Saxoniae filiam. Perinde ac ſi iam dum Sec. V. duces Saxonici cum hereditario imperio fuiſſent, cuius vanitatis me taedet prorſus, et ſatis habeo perſtrinxiſſe in diſſertatione de VVidekindo M. Neſcio etiam, qvo indicio Philippus Callimachus, qvi poſt Paullum Iovium vitam resqvegeſtas Attilae literis mandavit, dubitare poſſit de morte Bledae, peremptusne a fratre Attila ſit, nec ne: cum hoc Iornandes et Paullus Diaconus affirment, qvibus propter recentiorum aliqvot ſuſpiciones derogare fidem, praeter rem eſt. Neqve id a ferociſſimi Attilae ingenio valde alienum cenſeo, praeſertim qvod ſint, qvi coniiciant Attilae de coniuratione ſuſpectum fuiſſe fratrem, Gaſp. Ens l. 1. p. 22. Hiſt. rer. Vng. De uxoribus tradunt, habuiſſe plures: nec obnitor: et multi eius filii memorantur, inprimis Ellac patri carus, ſed praeter omnem ſpem in praelio cum Gepidis commiſſo occiſus, Iornand. p. 133 R. G. Mirum dictu, qvam perperam novitii nomina exprimant Attilanae progeniei, qvae ſi ponam ex ordine, ut ſe contingunt ſangvine invicem, non fecerim praeter inſtituti rationem.

*Mundzuccus * Octar. Roas.*

Attila. Bleda (aliis Bleta , Theophani Bdela)

Ellac. a. Chaba. b. Aladrius c. Hernach. c.

Opportune hic arbitror proſeqvi me poſſe, qvod vulgo traditum eſt de inſolentiſſimo titulo, qvem uſurpaſſe Attilam ferunt. ATTILA MVNDZVCCI (al. MVNDIZICI, al. BENDEVCVM) FILIVS, NIMRODI NEPOS NVTRITVS IN ENGADDI, DEI GRATIA REX HVNNORVM ET MEDORVM, GOTHORVM, DACORVM, METVS ORBIS, ET (POST COLLOQVIVM EREMITE) FLAGELLVM DEI.

Approbant Sebaſt. Münſterus in app. Geog. et Petrus Revva, Centur. rer. Hung. 7. pag. 145. ſeqvitur Conrad. Theod. Linck. Th. Hiſt. polit. in Attil. Nadanyus dubitat. Fl. Hung. p. 32. Ego nego ob multas, qvae in promptu ſunt, rationes, et prorſus ineptire credo, qvi immorantur tuendis his nugis. Repugnat enim indoles V. ſeculi, qvandoqvidem titulus, Dei gratia, multò ſerius cœpit, &, ut manifeſta indicia ſunt, primùm Carolingorum avo: repugnat inſuper rerum titulo comprehenſarum

rum

*Iorn. R G. p. 115. et 132. Conf. Blōdus Forolivienſis l. 2. de imp. inclin.

a. c. Iornand. R. G. p. 133. 134.

b. c. Michael Ritius de reg. Vng. p. 864. ſed. qvi aliqvādo cum Bōſinio ſtivā olere videtur Io. Nadanyo, praef. Flor. Hung. ad lector. Ego nunc deſidero auctores, unde allegat nomina Attilanae ſtirpis. Conſangvineos filiorum Attilae recenſet Iornand. p. 134. R. G.

rum ratio, qvum nemo ſit, qvi neſciat, Mediam ab Attilae dominatu diſiunctiſſimam fuiſſe: repugnat demum praeter alia conditio Attilae' qvi nec dicere ſe Nimrodi nepotem iure, nec ſcire facile de Nimrodo, niſi ex ſacris, qvas ipſe ignoravit, literis potuit. Dabo enim Belum profanis cognitum, ſed non aeqve Nimrodum. Eo Conf. Georgius Hornius diſſertat. hiſt. pol. 21. pag. 196. et poſt eum Rudolphus Roth, vel maxime ideo, qvod ex Muſeo Boſiano publicum fecit Attilae numum. Sed haec atqve talia in publicis recitationibus diffuſe pariter et accurate expendiſſe nos recordamur.

VI. Nec vero diu incoluerunt Pannoniam Gothi, effuſis mox Andoino rege Longobardis, qvi ferre in armis ius, et pugnare potius, qvam petere aſſveti, ingruebant ſumma vi, Gothosqve agebant in fugam.

Tralatitium id Germanis olim Gallisqve memoratur: de illis cognoſcas ex Floro, ep. H. R. l. 3. c. 3. qvi non qvod aeqvum ſemper, ſed qvod utile eſſet, aſſeqvi optabant, qvippe bello migrationibusqve in tantum efferati, ut, qvod precibus neqvibant, protinus armis peterent. Nec aliud veterum Normannorum ingenium fuit, ut apud qvos piratica laudi eſſet, ac honeſtiſſimae militiae nomine cenſeretur, ut tradit Vb. Emmius rer. Friſic. ad A. 833. Conf. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremenſ. l. 2. c. 24. collat. cum l. 1. cap. 21. Proceſſitqve apud Holſatos eo licentia haec, ut, qvantum qvis praedari poſſet, tantum ornamento gloriae a ceteris diſtingveretur, teſte Helmoldo l. 1. c. 47. rer. Slav. ex recenſ. H. Bangerti. Sed qvod unius alteriusqve partis, et certi populi vitium eſt, non continuo univerſae nationi Germanicae aſpergendum, eo qvod fuerint, qvi abſtinuerunt hoc raptu, ut Tacitus prodidit de Chaucis, Mor. Germ. cap. 35. Velleius alioqvi Langobardos gentem vocat Germana feritate ferociorem H. l. 2. c. 107. Non qvod neget eſſe Germanos (negaret enim contra verum. Conf. Paulus Diaconus l. 1. p. 195. ex recenſ. Lindenbrog.) ſed qvia comparare inſtituit cum ceteris Germanis, qvi propter conſvetudinem cum Romanis miteſcere multo citius coeperunt. Nec ſecius conſtat de Gallis, ut apud Livium eſt decad. l. 1. 5. c. 36. Ego vero redeo ad Longobardos, qvorum nomen inepte deducitur a prolixis barbis, et deducunt tamen Paulus all. lib. pag. 199. Siffridus Presbyter ad A. 568. Ioach. Camerarius ad Niceph. Chronolog. p. 76. qvos magno numero ſeqvitur vulgus, et lingvae noſtrae, et omnis Germanicae antiqvitatis ignarum. Vid. interim H. Meibom. Not. ad Hiſt. Bardevici p. 152. Colligoqve id ex

ipſo Paulo, qvi fidem facit, Longobardos ſedes habuiſſe in patentibus campis, p. 213. Atqvi hos non modo Feld/ *qvod ille prodit, ſed etiam Borde vocari, moris vetuſti apud noſtros fuit. Primus Longobardorum Rex traditur Agelmundus, a quo nonus ordine regnavit. Audoinus, auctor idem ductorqve expeditionis in Pannonias ſuſceptae, ut reperire eſt apud Diaconum Foroiulienſem. Conf. Io. Sambucus, et Io. Troſter. deſcript. Dac, pag. 183. Audoinus filium genuit Alboinum, qvi a Narſete evocatus, Longobardos in Italiam adduxit, vid. Er. Putean. Hiſt. Inſubr. l. 2. p. 18. ut vere dicas, Pannoniam qvondam qvaſi Martis pilam ſangvinariumqve ludum fuiſſe.*

VII. Iam ceſſaturi a tumultibus videbantur Langobardi, ſi melior, qvam Narſes, ipſis monitor contigiſſet, qvi qvo rependeret acceptae iniuriae vicem, * priſtinam gloriam ſcelere mutavit, infenſus usqve eo et iratus Iuſtino Auguſto, ut pudoris fideiqve oblitus, peſſime conſuleret in rem publicam, excitaretqve Pannonia Alboinum, et, ne qvid explendae animi libidini deeſſet, armaret in Italiae ruinam. Non diſplicebat Alboino conſilium, nec interponebat moram, ſecuturus, qvo Narſes, Romani exitii cupidus vocaſſet. Igitur mutat veteres ſedes, et cum magno ſuorum manu properat in Italiam, ** cum Hunnis de repetenda Pannonia pactus.

* *Paul VVarnefrid. de geſt. Longobard. p. 222. Anaſtaſius bibliothecar. in Ioanne III. Pontif. p. 60. edit. Mogunt. Hermannus Contractus ad A. 565. Marianus Scotus A. 566. Sigebertus Gemblacenſis Chronograph. A. eod. edit. Piſtor. Abbas Stadenſ. recens. Reinecc. Sed qvod miror, tacent hoc ſeculi VI. Scriptores, Procopius, Corippus, et primus memorat Sec. IIX. Paullus, qvem IX. ſeqvitur Anaſt.*

** *Refert Siffridus Presbyter ad A 568. Langobardos occupata Italia, dedidiciſſe Germanicam Lingvam. Qvod Latinam, licet inficetam, ſibi reddiderint familiarem, indicio ſunt Langobardicae leges. Paullus VVarnefrid. de geſt. Langob. l. 2. p. 222. adfert Hunno Langobardicae pactionis ſummam, nempe conveniſſe inter utrosqve, ut Hunni tamdiu retinerent Pannoniam, donec ſuos non urgeret neceſſitas redeundi. Haec vero ſi abeſſet, haberent Pannoniam ſibi et foedere mutuo colerent amicitiam. Conf. cum p. 222. alleg. p. 214. edit. Lindenbrog.*

Pru-

Prudenter ſane et opportune et qvaſi diffiſis fortunae ſuae cogitatum, ſi aliter uſu eveniret, qvam deſtinatum fuiſſet. Qvi temporum rationes ſubducunt, hic ſive initium, ſive epocham collocant ſecundi Hunnorum reditus in Pannoniam, id eſt, in A. a N. C. 567. Hunnorum, dico, ne cum Hungarorum altera migratione confundatur. Nadanyus Fl. Hung. l. 1. cap. 13. Io. Sambucus ſupra alleg. Ceterum Langobardi duobus et qvadraginta annis conſederant in Pannonia, qvando cum liberis et lare in Italiam diſceſſerunt, hactenus Romanorum, ut ſignat Paullus, adiutores nunc hoſtes. Vid. p. 222. et 219. de geſt. Langob.

VIII. Ita Hunni velut ab exilio reverſi, Pannoniam, unde extruſi ab Oſtrogothis fuerant, beneficio Alboini recuperarunt, et tot calamitatum, qvas acceperant, ſolatium tandem atqve optatum finem habuerunt, redditiqve patriae, unde ſine redeundi ſpe diſceſſerant, procul periculo et iniuria Oſtrogothorum, qvi ipſos afflixerant prius, ſalvi atqve incolumes floruerunt, usqve dum Romani iterum conturbarent huius fortunae rationes, et vim facerent bello, repetituri etiam, ſi poſſent, ** Pannoniam, velut ſuam.

* *A. Bonfinius non modo ſubſcribit nobis, ſed etiam confirmat, Vnnos in proferendos recepti regni fines intendiſſe animum, et omnes vires, decad. l. 1. 8. p. 144. Nec multo poſt moviſſe in Francos, idem aſſeverat, et ante eum Gregorius Turonenſis, Hiſt. l. 4. c. 29. qvi interpretatur Francos Occidentales, ſive Gallos, horumqve regem Sigibertum, cuius multa induſtria fuit in placando Vnnorum rege Chagano. Alii ibidem, Gagano, legunt: Paullus Diaconus Cacanum, Sigebertus Chaianum, multi Kaganum ſcribunt. Sed aliqvanto poſt tempore, qvam in vivis eſſe deſiit Turonenſis, bellum qvoqve cum Francis Orientalibus geſſerunt Vnni, ut approbant Pallus Diaconus l. 4. cap. 12. geſt. Langob. Sigebertus ad A. 601. De Chagani nomine obſervo, perinde apud Vnnos, atqve Pharaonum nec non Ptolomaeorum Lagidarumqve apud Aegyptios, invaluiſſe, ut gentilitium omnibus, nulli ſingulare eſſet. Qvorum illud ex Ioſepho Io. Henr. Vrſinus, hoc ad Nicephorum Conſtantinopolitanum Ioach. Camerarius. ad Iuſtinum Io. Freinshemius probat. Et de Batonis veteri cognomento iam ſupra eſt traditum. Nec eſt, ut qvid addam de Romanorum Auguſtis, Albanorum Sylviis, Parthorum Arſacidis, Langobardorum Flaviis, de qvibus Servius,*

 Au-

I.

REgnum, qvod Vngaricum appellatur, primi Pannones * tenuerunt, viribus ſuis eo usqve innixi olim, ut nemo ante Auguſtum ſubigere, nemo alius recipere in veteris imperii fidem poſſet.

* *Gravem ſententiae teſtem adducimus Appianum Alexandrinum eo libro, qvem compoſuit de bellis Illyricis, qvo comprobat, Pannones Illyricorum gente ortos fuiſſe. Graecis, ut idem auctor eſt Paeones dicebantur, qva notione expreſſerunt ſeculo I. Strabo l. 7. ed. Baſil. Ovidius et Martialis: ſec. III. Philoſtratus, l. 8. de vit. Apollon. ſec. V. Zoſimus. Nec enim Graecis ignoti eſſe poterant, qvi ad Graecorum usqve fines porrigebantur, Strab. l. all. p. 365. Nec deſunt Appiano argumenta, qvod Pannones ſub Macedonum regibus ſtipendia feciſſent. Neqve tamen id eo ſpectat, ut Paeones Macedoniae populos intelligamus, qvippe qvi multum differunt a Paeonibus noſtris, Ioannes Nadanyus Fl. Hung. p. 17. qvi ex hac cauſa redarguit Dionem Caſſium. Horumqve antiqvitus tanta fama fuit, ut univerſam Italiam perculerint ingenti metu, Appianus p. 1202. Qvo allegat commentarios Auguſti Caeſaris, ut qvi ſic memoriae tradidiſſet de his gentibus. Appiani ſententiam in medio relinqvit Antonius Bonfinius, rerum Vngaricarum, ut Thuanus l. X. Hiſt. appellat, ſcriptor luculentus, dec. 1. l. 1. p. 20. Impenſe errat Ioannes Sambucus qvi a Bannone velut primo rege hoc regnum auſpicatur, idqve ſub annum a Noachica aqvarum eluvione CLV. Tum vero eum deducit a ſtirpe Semi contra omnes hiſtoriae ſacrae rationes. Id ſaltem docet nobiſcum recte, et probat Pannonas usqve ad Auguſtum fuiſſe ſuae ſponte, et vixiſſe liberos, nec aliis, qvam ſuis legibus uſos, app. p. 829. De Pannoniae diviſione in ſuperiorem et inferiorem vid. Claudius Ptolomaeus l 2. cap. 15. Iac. Aug. Thuanus l. 10. Hiſt. ad A. 1551. Nadanyus l. 1. cap. 5. Iamqve diu ante Tacitus Pannonias notione plurium indicavit, de Germ. Mor. I. 1. Vellei. H. II. 110. Rufus Feſtus in brev. ad Valentin. Imp. Pannoniarum duas vocavit. Caſpar Ens a Danubio in cis- et trans-danubianam partitur; hanc primam, illam*

ſecundam cognominat, eaqve freqvens etiamnum, et ſubinde in regni tabulis uſurpata diviſio eſt. Conf. articuli pacis A. 1606. corpori articul. univerſ. regni Hung. inſerti. et A. 1668. evulgati.

II. Simulatqve vero lapſa Romanorum res eſt, barbari verſis ad dominatum animis, provincias * Romanorum invaſerunt, maiori prae ceteris audacia Vandali, qvi ut nihil non experirentur, a Conſtantino oraverunt ſedes, ** qvas qvum impetraſſent, iam velut cedendo ſecuri, brevi poſt in maius periculum venerunt, commotis ad expeditionem Gothis, qvos fugerant hactenus, ut maiori impetu fugarentur.

* *Pannonia ab Auguſto ad obſeqvium, a Tiberio in provinciam redacta, alterum ex Appiano, alterum ex Svetonio, cui declarando adferimus Rufum Feſtum, evincimus. Ille,* Batonem, *inqvit, Pannonium* Ducem ingentibus donatum praemiis, Ravennam tranſtulit: etc. *Vbi nemo non videt, cur utatur* transferendi *vocabulo, qvippe qvod eo valet, qvo conſtet, regno deſtitutum fuiſſe Batonem, et ſupremum adeo in regnum illud ius ac poteſtatem Tiberio ceſſiſſe. Qvod de praemiis donato refert, id pertinet ad ſimulacra imperantium, qvi uſurpant haec calliditatis inſtrumenta, ut victi ſervitutem aeqvius ferant. Nullus dubitationi locus eſt, ſi, qvod nunc res monet, Rufum Feſtum inſpiciamus. Hic vero ait. Batone (alii Battone, aut Bathone) Pannoniorum rege, ſubacto, in ditionem noſtram Pannoniae (ſuperior et inferior) venerunt. Haud ſcio, an qvid dicere evidentius potuerit Rufus Feſtus. Nec tamen ignoro, Dioni Batonem eſſe Dalmatiae regulum: at fecerim hic libentius cum Svetonio, tum qvia propioris aevi, tum qvia ſanctiorum epiſtolarum magiſtro apud Adrianum, qvi nec negligenter, et de induſtria exeqvitur hanc hiſtoriae partem. Dionem, ut ſolet, ſeqvitur Xiphilinus edit. Henric. Steph. qvi qvod nos de Pannonia, idem de Dalmatis extulit.* Δαλματία προσεχώρησε τοῖς Ῥωμαίοις. *Poſſet qvis ſuſpicari hic, aut iuncta Pannoniae Dalmatiaeqve regna, aut reges diverſos unius nominis fuiſſe, cum de Batonis illo certum ſit, populare inter Pannones fuiſſe, ut ſignant monumenta veterum inſcriptionum.*

** *Iornandes de reb. Get. p. 102. breviter ſtrictimqve explicat hoc, unde repetunt rerum Hungaricarum ſcriptores, Antonius Bonfinius*

dec.

decad. 1. l. 2. p. 39. Ioannes Sambucus p. 829. qvorum qvidem ille liberius, iſte hoc loco certius definit annos, qvibus Vandali in Pannonia commorati ſuut, qvod intelliget, qvi utrosqve iudicabit ex Iornande allegato. Coniecto autem, Bonfinium auctoritate Sigeberti Gemblacenſis deceptum, qvi exiſtimat, LX. annis habitaſſe Pannoniam Vandalos, Chronograph. p. 479. edit. Piſtor.

III. Gothi, qvos ſive ſua immanitas, ſive regnandi ſpes induxerat, non manendum rati, ubi migrandi ratio eſſet exactis ab eo tempore, qvo Vandali Pannonias ingreſſi erant, qvadraginta annis, iter una et ſigna parant, ducturi in Vandalos, qvi, ut evenire his rebus ſolet, metu correpti, recedere, qvam occurrere periculo maluerunt. *

* *Compendiariam Vandalorum hiſtoriam fecit Iſidorus Hiſpalenſis, cum qvo conf. Ioannes Gerundinenſis Gothus, Idacius Lemicenſis, a Ioſepho Scaligero editi. Diſceſſiſſe ex Pannonia ob Gothorum metum, confirmat Iornandes de reb. Get. p. 111. Sambucus confidenter memorat, Vandalos a Gothis exturbatos eſſe. conf. Matth. a Michou de Sarmat. Aſian. l. 1. cap. 10. Marcus Aurelius Caſſiodorus in Arcad. et Honor. prodidit, Vandalos Alanis iunctos, Galliam intraviſſe. Bonfinius iterum ſeqvitur Sigebertum, nec repugno, qvod Paullus Diaconus qvoqve ſcripſerit, a Stilicone Vandalae ſtirpis homine, eodemqve Honorii praefecto ſuſcitatos, in Gaillam irent, vaſtarentqve omnia et dividerent ferro. Qvae dum inter Vandalos, Gothosqve agebantur, Pannones illius regionis Aborigines, tot infeſtis migrationibus turbati ſaepe exciſiqve nomen ſaltem ſucceſſoribus reliqverunt. De Vandalis alioqvi et Gothis omnes ſcire arbitror, modo amicos, modo hoſtes, ut amicitiae mortales ſunt, fuiſſe. De foederibus utrorumqve vid. Procopius, Eutropius, Zoſimus, Ado Viennenſis, aliiqve. Ad Gothorum hiſtoriam addimus, ante Illyricum vaſtaſſe, qvam infeſta ſigna in Pannoniam intuliſſent. Euſebius Chron. lib. poſt p. 176. Prior enim illa irruptio incidit in A. C. 271. poſterior in A. C. 382. Reliqva huius argumenti proſeqvimur iuſto commentario in rebus Sveo Gothicis.*

IV. Nihilo ſecius Hunnis * in turbido conſilium erat, qvorum ferocia crevit exemplo, evaſitqve eo ut vel ad ſolam nominis Hunnici mentionem inhorreſcerent Romani,

ni, tanto magis, qvod impetum adiuvaret fortuna, Gothosqve vigore pariter et fortitudine mirabiles Pannonia exturbarent.

* *Hunni Euſebio Chunni, Chr. lib. prior: aliis, praecipue Vngaris Vnni, ut apud Bonfinium eſt, ſcripti extant. Origo per fabulas explicata eſt a Iornande de reb. Get. p. 103. 104. qvem ſeqvitur Sigebertus Gemblacenſis Chronograph. p. 481. Io. Olaus Hiſt. l. 6. cap. 24. Nam ratione careat, qvisqvis credit, Hunnos ex Getarum Alirunis a Faunis, ſive hominibus ſylveſtribus compreſſis natos eſſe. Alirunae qvales fuerint, reperire eſt apud Saxonem Sialandicum Olaum VVormium et Iornandem dicto loco. Cuius gentis Hunni fuerint, faciunt docti, ut diſcepretur. Albertus Crantzius Vandal. l. 6. cap. 5. Hunnorum perinde, ac Vandalorum veſtigia extare in Germania affirmat. Neqve id inficiari auſim, ſi certum ſit, Hunnos a Gothis procreatos eſſe, qvod placet Ioanni Magno l. 6. hiſt. Goth. Sveon. c. 24. Alii pro Sarmatis habent, cuiusmodi opinio tribuitur Ptolomaeo, ut enarrat Elias Reisnerus p. 207. de Miſen. Et fortean non diſſentit Melchior Goldaſtus, qvi Huno-Slavicum componit una voce, l. 1. c. 5. p. 47. de reg. Boh. Qvi nobis Hunni, multis Avares dicuntur, V. Aimoinus l. 3. cap. 11. Paulus VVarnefridi de geſt. Langobard. l. 2. p. 224. Eginhardus de vit. Carol. M. cap. 3. Diſtingvuntur Hunni in Aſianos, et Europaeos, de qvibus eſt apud Procop. l. 5. Matthias a Michou refert, alios in Scythia conſediſſe, alios in eam regionem, qvae nunc Vngaria audit, profectos eſſe, de Sarmat. Aſian. l. 1. cap 14. De Hunnorum prima expeditione notum eſt, neqve id nunc probari attinet, incidiſſe in IV. a N. C. ſec. annus memoratur 370. Ioannes Nadanyus l. 1. cap. 8. Eorum poſteros eſſe Vngaros, plures et egregio ingenio viri tradunt, Antonius Bonfinius rer. Vng. decad. 1. l. 2. a principio Abrahamus Bakſchay de ingreſſu Hunnorum in Pann. ſub initium, et ex mente aliorum Michael Ritius de regibus Hungar. Io. Matth. a Sudetis de origine Bohem. Nec abludit multum Elias Reusnerus: diſſentit ab his Ioannes Aventinus l. 14. Annal. Boi. Iacobus Spigelius, noviſſime Georgius Hornius, et H. Conringius, qvibus ut aſtipulemur, multae ſunt cauſae, qvae nos hortantur. Sed in praeſens ſatis eſt, breve Vandalorum, Gothorum Hunnorumqve in Pannonia imperium oſtendiſſe: cuius rei ſignificationem dare voluit Paulus Iovius Hiſt. l. 1. edit. Baſ. p. mihi 2. Summatimqve id complexus eſt Sebaſtianus Munſterus in app. Geographic. Ptolomaeo addit. pag. 175.*

V. Sed haud multo poſt ad ingenium redibant Gothi, et redintegratis paulo viribus occaſione utebantur praeclare exiſtimantes, ex uſu ſuo fore civile Hunnorum * bellum, qvod niſi hos effeciſſet miſeros, forte procul metu fuiſſent, ſuffecturi omnibus, qvi laceſſerent, praecipue iis, qvi ereptum Pannoniae regnum vellent. At vero, qvod inteſtinae diſcordiae malum eſt, res ipſorum iam in eum devenerant locum; ut, qvando corrigi non poſſent, imprudentiam ſeu turpi exilio, ſive ſervitute luerent, pro futuro poſteris exemplo ſervandae concordiae atqve domeſticae tranqvillitatis.

* *In compendio deſcribunt Abra. Bakſchay de ingreſſ. Hunnor: in Pannon. Io. Sambucus App. 829. Michael Ritius de reg. Vngar. ex veteribus Iornandes de reb. Get. p. 132. 133. 135. Paulus Diaconus autor eſt, Oſtrogothos ſtatim ab Attilae exceſſu turbaſſe, nec filiorum aeqve, ac patris, imperium ferre voluiſſe, p. mih. 372. Obvium in hoc Attila eſt exemplum affectati in omnes reges principesqve dominatus, qvam iniuſti, tam foedi exitu, et minime diuturni. Diſerte Iornandes.* Attila Hunnorum omnium dominus, et poene totius Scythiae gentium ſolus in mundo regnator. *Qvo nil aliud conſecutus eſt, qvam ut tot regna male parta omnibus gentibus qvaſi offerret in praedam, nec eſſet qviſqvam, qvi moderate ſentiret de transgreſſo omnis moderationis leges. Auſpicabantur egregium facinus Gothi, et primi excutiebant iugum, ac libertatem reſtaurabant. Qvod vellem, in omnium Principum animos deſcenderet, qvo ius, bonum aeqvumqve Dei et gentium cauſa, curent recte atqve id unum ſtudeant gnaviter, ne VNVS OMNIBVS imperitet. Providebunt ſane Gothi, Cimbri Teutonesqve ne qvis hanc nobis extorqveat felicitatem, ut ſine periculo imperia, nos pace vigeamus.*

** *Nil Attilae filiis reſtabat, qvam ut male conſulerent ſibi, dividerentqve imperium, qvo perderent, perderent vero, ut ſimul ipſi perirent. Nempe ita Deus mulctat crudelis atqve efferati regis filios, ut non intelligant, qvibus rebus aut evertant ſua, aut conſervent. Diſſidebant ſinguli, ut univerſi opprimerentur. Regnare omnes volebant, ut omnes in exitium ruerent. Triſte ſpectaculum, et diſpar ſuperiori fortunae, qvae affulſerat Attilae patri, ac revocandum adeo in mentem illis, qvi neqve deſinunt, neqve conqvieſcunt, donec exemplo fuerint perinde triſti, et cuius miſereat omnes bonos.*

bonos. Qvod ad genus Attilae ſpectat, fabulas pleriqve immiſcent: qvale eſt illud, qvod Michael Ritius l. 1. de reg. Vng. ſcribit, Attilam accepiſſe in matrimonium Ducis Saxoniae filiam. Perinde ac ſi iam dum Sec. V. duces Saxonici cum hereditario imperio fuiſſent, cuius vanitatis me taedet prorſus, et ſatis habeo perſtrinxiſſe in diſſertatione de VVidekindo M. Neſcio etiam, qvo indicio Philippus Callimachus, qvi poſt Paullum Iovium vitam resqvegeſtas Attilae literis mandavit, dubitare poſſit de morte Bledae, peremptusne a fratre Attila ſit, nec ne: cum hoc Iornandes et Paullus Diaconus affirment, qvibus propter recentiorum aliqvot ſuſpiciones derogare fidem, praeter rem eſt. Neqve id a ferociſſimi Attilae ingenio valde alienum cenſeo, praeſertim qvod ſint, qvi coniiciant Attilae de coniuratione ſuſpectum fuiſſe fratrem, Gaſp. Ens l. 1. p. 22. Hiſt. rer. Vng. De uxoribus tradunt, habuiſſe plures: nec obnitor: et multi eius filii memorantur, inprimis Ellac patri carus, ſed praeter omnem ſpem in praelio cum Gepidis commiſſo occiſus, Iornand. p. 133. R. G. Mirum dictu, qvam perperam novitii nomina exprimānt Attilanae progeniei, qvae ſi ponam ex ordine, ut ſe contingunt ſangvine invicem, non fecerim praeter inſtituti rationem.

*Mundzuccus * Octar. Roas.*

Attila. Bleda (aliis Bleta, Theophani Bdela)

Ellac. a. Chaba. b. Aladrius c. Hernach. c.

Opportune hic arbitror proſeqvi me poſſe, qvod vulgo traditum eſt de inſolentiſſimo titulo, qvem uſurpaſſe Attilam ferunt. ATTILA MVNDZVCCI (al. MVNDIZICI, al. BENDEVCVM) FILIVS, NIMRODI NEPOS NVTRITVS IN ENGADDI, DEI GRATIA REX HVNNORVM ET MEDORVM, GOTHORVM, DACORVM, METVS ORBIS, ET (POST COLLOQVIVM EREMITE) FLAGELLVM DEI.

Approbant Sebaſt. Münſterus in app. Geog. et Petrus Revva, Centur. rer. Hung. 7. pag. 145. ſeqvitur Conrad. Theod. Linck. Th. Hiſt. polit. in Attil. Nadanyus dubitat. Fl. Hung. p. 32. Ego nego ob multas, qvae in promptu ſunt, rationes, et prorſus ineptire credo, qvi immorantur tuendis his nugis. Repugnat enim indoles V. ſeculi, qvandoqvidem titulus, Dei gratia, multò ſerius cœpit, &, ut manifeſta indicia ſunt, primùm Carolingorum avo: repugnat inſuper rerum titulo comprehenſarum

*Iorn. R G. p. 115. et 132. Conf. Blōdus Foroliuienſis l. 2. de imp. inclin.

a. c. Iornand. R.G. p. 133. 134.

b. c. Michael Ritius de reg. Vng. p. 864. ſed. qvi aliqvādo cum Bōfinio ſtivā olere videtur Io. Nadanyo, praef. Flor. Hung. ad lector. Ego nunc deſidero auctores, unde allegat nomina Attilanae ſtirpis.

Conſangvineos filiorum Attilae recenſet Iornand. p. 134. R.G.

rum ratio, qvum nemo ſit, qvi neſciat, Mediam ab Attilae dominatu disiunctiſſimam fuiſſe : repugnat demum praeter alia conditio Attilae' qvi nec dicere ſe Nimrodi nepotem iure, nec ſcire facile de Nimrodo, niſi ex ſacris, qvas ipſe ignoravit, literis potuit. Dabo enim Belum profanis cognitum, ſed non aeqve Nimrodum. Eo Conf. Georgius Hornius diſſertat. hiſt. pol. 21. pag. 196. et poſt eum Rudolphus Roth, vel maxime ideo, qvod ex Muſeo Boſiano publicum fecit Attilae numum. Sed haec atqve talia in publicis recitationibus diffuſe pariter et accurate expendiſſe nos recordamur.

VI. Nec vero diu incoluerunt Pannoniam Gothi, effuſis mox Andoino rege Longobardis, qvi ferre in armis ius, et pugnare potius, qvam petere aſſveti, ingruebant ſumma vi, Gothosqve agebant in fugam.

Tralatitium id Germanis olim Gallisqve memoratur: de illis cognoſcas ex Floro, ep. H. R. l. 3. c. 3. qvi non qvod aeqvum ſemper, ſed qvod utile eſſet, aſſeqvi optabant, qvippe bello migrationibusqve in tantum efferati, ut, qvod precibus neqvibant, protinus armis peterent. Nec aliud veterum Normannorum ingenium fuit, ut apud qvos piratica laudi eſſet, ac honeſtiſſimae militiae nomine cenſeretur, ut tradit Vb. Emmius rer. Friſic. ad A. 833. Conf. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremenſ. l. 2. c. 24. collat. cum l. 1. cap. 21. Proceſſitqve apud Holſatos eo licentia haec, ut, qvantum qvis praedari poſſet, tantum ornamento gloriae a ceteris diſtingveretur, teſte Helmoldo l. 1. c. 47. rer. Slav. ex recenſ. H. Bangerti. Sed qvod unius alteriusqve partis, et certi populi vitium eſt, non continuo univerſae nationi Germanicae aſpergendum, eo qvod fuerint, qvi abſtinuerunt hoc raptu, ut Tacitus prodidit de Chaucis, Mor. Germ. cap. 35. Velleius alioqvi Langobardos gentem vocat Germana feritate ferociorem H. l. 2. c. 107. Non qvod neget eſſe Germanos (negaret enim contra verum. Conf. Paulus Diaconus l. 1. p. 195. ex recenſ. Lindenbrog.) ſed qvia comparare inſtituit cum ceteris Germanis, qvi propter conſvetudinem cum Romanis miteſcere multo citius coeperunt. Nec ſecius conſtat de Gallis, ut apud Livium eſt decad. l. 1. 5. c. 36. Ego vero redeo ad Longobardos, qvorum nomen inepte deducitur a prolixis barbis, et deducunt tamen Paulus all. lib. pag. 199. Siffridus Presbyter ad A. 568. Ioach. Camerarius ad Niceph. Chronolog. p. 76. qvos magno numero ſeqvitur vulgus, et lingvae noſtrae, et omnis Germanicae antiqvitatis ignarum. Vid. interim H. Meibom. Not. ad Hiſt. Bardevici p. 152. Colligoqve id ex

Prudenter ſane et opportune et qvaſi diffiſis fortunae ſuae cogitatum, ſi aliter uſu eveniret, qvam deſtinatum fuiſſet. Qvi temporum rationes ſubducunt, hic ſive initium, ſive epocham collocant ſecundi Hunnorum reditus in Pannoniam, id eſt, in A. a N. C. 567. Hunnorum, dico, ne cum Hungarorum altera migratione confundatur. Nadanjus Fl. Hung. l. 1. cap. 13. Io. Sambucus ſupra alleg. Ceterum Langobardi duobus et qvadraginta annis conſederant in Pannonia, qvando cum liberis et lare in Italiam diſceſſerunt, hactenus Romanorum, ut ſignat Paullus, adiutores nunc hoſtes. Vid. p. 222. et 219. de geſt. Langob.

VIII. Ita Hunni velut ab exilio reverſi, Pannoniam, unde extruſi ab Oſtrogothis fuerant, beneficio Alboini recuperarunt, et tot calamitatum, qvas acceperant, ſolatium tandem atqve optatum finem habuerunt, redditiqve patriae, unde ſine redeundi ſpe diſceſſerant, procul periculo et iniuria Oſtrogothorum, qvi ipſos afflixerant prius, ſalvi atqve incolumes floruerunt, usqve dum Romani iterum conturbarent huius fortunae rationes, et vim facerent bello, repetituri etiam, ſi poſſent, * * Pannoniam, velut ſuam.

* *A. Bonfinius non modo ſubſcribit nobis, ſed etiam confirmat, Vnnos in proferendos recepti regni fines intendiſſe animum, et omnes vires, decad. l. 1. 8. p. 144. Nec multo poſt moviſſe in Francos, idem aſſeverat, et ante eum Gregorius Turonenſis, Hiſt. l. 4. c. 29. qvi interpretatur Francos Occidentales, ſive Gallos, horumqve regem Sigibertum, cuius multa induſtria fuit in placando Vnnorum rege Chagano. Alii ibidem, Gagano, legunt: Paullus Diaconus Cacanum, Sigebertus Chaianum, multi Kaganum ſcribunt. Sed aliqvanto poſt tempore, qvam in vivis eſſe deſiit Turonenſis, bellum qvoqve cum Francis Orientalibus geſſerunt Vnni, ut approbant Pallus Diaconus l. 4. cap. 12. geſt. Langob. Sigebertus ad A. 601. De Chagani nomine obſervo, perinde apud Vnnos, atqve Pharaonum nec non Ptolomaeorum Lagidarumqve apud Aegyptios, invaluiſſe, ut gentilitium omnibus, nulli ſingulare eſſet. Qvorum illud ex Ioſepho Io. Henr. Vrſinus, hoc ad Nicephorum Conſtantinopolitanum Ioach. Camerarius, ad Iuſtinum Io. Freinshemius probat. Et de Batonis veteri cognomento iam ſupra eſt traditum. Nec eſt, ut qvid addam de Romanorum Auguſtis, Albanorum Sylviis, Parthorum Arſacidis, Langobardorum Flaviis, de qvibus Servius,*

Aurelius Victor, Iuſtinus, Paullus Diaconus praeclare commemorarunt. Conf. ad hunc Frid. Lindebrog. p. 352. Aſſentiuntur de Chagano poſt Turonenſem, Sigebertus Gemblacenſis Chronograph. A. 520. qui nunc Kagan, nunc Chaian ſignat: Aimoinus l. 4. c. 5. de geſt. Franc. Paul. Diaconus l. 4. c. 38. Diſtingvit vero Monachus Benedictinus Adelmus A. 782. et qvos nos reges, ille Principes Vnnorum vocat. Neqve inficiari velim, diviſum aliqvando Vnnorum imperium fuiſſe, ut ex Procopio mihi liqvet, qvibus forte rebus accidere potuit, ut qvi imperium, iidem et nomen dividerent. Sed Io. Sambucus tradere videtur Chacanum notione ſingulari, tanqvam Avarii, in regno Vnnico ſucceſſoris, qvi a morte Zeliorbis regnum geſſit, Vnnos appellatos eſſe Avares. Hos Abaros, et Abares vocat Ioach. Camerarius not. ad Chron. Niceph. Conſt. p. 82. Qvorum tam exoſum fuit Conſtantinopoli nomen, ut Conſtantinus, qvi dicebatur, Copronymus ob connubium, qvod cum Chagani filia contraxerat, male audiret apud ſuos: ibid.

*** Bellum Hunno-Avaricum nuncupant vulgo: perperam vero, qvia Hunni et Avares una gens, neqve origine, neqve natione diſtincta fuerunt. Ex qvo non poſſunt non errare admodum, qvi Avares Hunnorum ſocios, et tanqvam ſede ac ſangvine diſcretos, cenſent. Torqvent hic ſe multi, et inter eos novitii qvidam, intricantqve adeo, ut non habeant, qvemadmodum extricent. Qvod ego qvidem valde miror, qvod refragentur ſcriptores medii aevi, et habeant pro iisdem. Ex reliqvis Aimoinus alterum explicat per alterum, de una eademqve notione, qvatenus paria faciunt, copulat, atqve a Dalmatis, unius alioqvin regni ſocietate iunctis diſtingvit, lib. 4. de geſt. Franc. c. 24. De cetero, qvi belli cauſam expediunt, nec niſi merito, reiiciunt in Chaganum, tum qvia turbatorem finium Romanorum, tum qvia violatorem pactorum inter Vnnos Romanosqve conventorum. Refert eo legi annales Conſtantinopolitanos, cumqve his Ioannem Zonaram et Nicephorum, illum qvidem magis. Inter Latinos Paullus Diaconus auctor eſt, Priſcum patricium, Mauricii Imp. praefectum, virtute ſua deviciſſe Vnnos. Sed corrupit hanc gloriam Commentiolus Dux, ut clades adeo clade foediſſima rependeretur. Vid. Chron. Cario-Peucerianum de bello hoc l. 3. in qvo id notamus, qvod Hunnos Hungarosqve permiſceat. Addatur Tobias VVagnerus inſt. hiſt. l. 7. in Maurit. et Io. Laetus in eod. Vt recte ſcripſerit in Chron. Michael Neander p. 258. Hunnos ab ſecundo reditu Pannoniam, aut iam Hunniam potius, ad Caroli M. usqve tempora tenuiſ-*

ſe.

ſe. Neſcio, qvid in mentem venerit Ioanni Sambuco, qvi minime vere-tur affirmare, receptam a Mauritio Imp. Pannoniam eſſe, commutatio-nemqve hanc refert ad A. 604. Eqvidem fateri velim, recipiendi ani-mum habuiſſe, ſed recepiſſe eam omni fide careat, qvi dixerit contra hiſto-ricorum fidem. Ita turbavit Hunnia, et turbata eſt, Hunnis erepta non eſt. Iamqve conſtat, opinor, elogium Ουγρικȣ̃ (Vngrici) qvo uſi ſunt Im-peratores Graeci, a VI. hoc ſeculo arceſſi non poſſe: et, ſi arceſſeretur, ut certe nunqvam poteſt, Hunnici, ſive Avarici ſumendus titulus fuiſſet, qvandoqvidem Vngrorum hiſtoriam non liceat ordiri altius, qvam ab aevo Carolingorum.

IX. Sed qvanqvam inſtaret urgeretqve Romanus ho-ſtis, et proferre denuo imperii gloriam vellet, uſu tamen di-dicit, fruſtra tentari omnia, resqve ſuas plus plusqve adduci in maius diſcrimen, Mauritio * domeſticis odiis, qvae brevi poſt adferebant exitium, implicato, ut ut neqve explicandi recte conſilii facultas, neqve belli feliciter gerendi occaſio relinqveretur, donec altero abhinc ſeculo inceſſeret cupido Hunnos, ageretqve in tot rapinarum ſpem, ac effunderet velut tempeſtatem in Germaniae ** fines: qvo factum eſt, ut ſuſcitarentur iniuria Franci, et qvum in officio contineri aegre poſſent, maiorem eorum partem excinderent ferro, qvodqve ſupra Romanorum vires erat, praedas atqve popu-lationes iſtas tandem inhiberent, adderentqve id honori praecipue ſuo, qvod ſoli poſt Oſtrogothos ſubegiſſent Hun-nos.

* *Qvod lubricum eſt rerum humanarum, Mauritius, qvi per avaritiam multa indigna admiſerat, prius exitium ſibi ominatus eſt, qvam exitio involveretur, velut fati praeſcius ſui. In qvam rem vid. praeter Io. Zonaram, Georg. Cedrenum, proprium Mauritii imper. reſcriptum ad A. 602. et Goldaſt. T. III. Conſtit. Imper. pag. 636.*

** *Qvi frui proſperis longius poterant, nunc, qvod diuturna Caeſarum patientia abuſi fuiſſent, ultore Carolo iuſtas poenas pendunt, et tantum non extirpantur. Qvanqvam hic non exeqvar (egredi enim eo non vacat) an a IVto inde ſeculo, qvum e vivis exceſſit Conſtan-tinus, Caeſaribus aliqvid iuris in Pannoniam reliqvum fuerit, nec te-*

mere dicam, qvod fuerit, praeſertim V. et VI. ſeculis, a qvibus ad hoc uſqve tempus Pannonia habuit ſeparatas rationes, neqve niſi ſemel imperio Romano ad Teutonicos delato innexa incluſave fuit, ſi maxime vectigalis aliqvando fuit, ut dicetur infra. Sed illud ex his colligi facile iudicariqve poteſt, qvae longa exercitatione atqve uſu maximo Chriſtoph. Beſoldus de Iurisd. Imp. et Hugo Grotius de I. B. et P. tradiderunt. Mihi iam ſatis eſt, oſtendere regnorum vices, et reddere IIX. ſeculo Hunnos Carolingorum armis ſubactos, et in eius rei teſtimonium replicare annales Franc. A. 788. et 796. Annal. Fuldenſ. ad A. eund. Eginhartus de vita Car. M. c. 13. Monachus Prumienſis A. 791. et 796. et ex eo Monachus VVeingartenſis Gabriel Bucelinus Annal. Germ. An. 796. De regibus Hunnorum perſvaſus omnino ſum, caruiſſe plena regiaqve poteſtate, ſi forte Attilam excipio, qvi rebus bellicis viam ſibi ad herile ius munivit. Qvo Conf. Iornand. de reb. Get. qui loco ſupra dicto ſignificánter Dominum vocat. Reminiſcor hic opportune, qvod ſcriptor annalium Francicorum ad A. 796. Hunnorum Principes, Regino ad eundem A. Duces nuncupet, qvos ipſi alias nuncupare Reges ſolent. Qvod indicio eſt, vetus Hunnicum regnum valde a ſervili obſeqvio abhorruiſſe. Qvod negare non audebunt, qvi et ingenium, et morem Hunnicae gentis contemplantur. Huc vid. Deductio Bohemica A. 1620. edita, ſed caute alioqvi legenda, pag. 18. Goldaſtus de reg. Boh. l. 1. cap. 5. p. 47. ubi correxit opinionem, qvam ſuperiori tempore probaverat de conſtitutione Iodici Ro. Regis, ut ea qvidem extat apud ipſum T. III. conſt. imp. ad A. 1410. cum qva forte conferre poſſis illam, qvae reperitur eod. T. ad A. 933. ſub nomine Alberici velut regis Romanorum concepta. Sed ut erravit Goldaſtus, dum olim cenſuit, Iodoci conſtitutionem in legitimis numerandam, ita non exqviſite loqvitur ib. de reg. Boh. 1. qvando Hunnicam conſtitutionem appellat, qvam Hungaricam appellari oportebat, cum, qvoad reſpiciam res Hunnicas, nil inveniam conſtitutionum Hunnicarum.

X. Deleta Hunnorum gente, Vngari * ab ultima Scythia, per regiones aditu arduas profecti, ferro aperuerunt viam, et cohortati ſe alacriter invicem, verſus Pannoniam fecerunt iter, ac nullo reſiſtente incolis vacuam occuparunt, nec occupaſſe contenti, erumpere inde ſaepius, et invadere Tevtonum ditiones, ** coeperunt.

* Hepidanus coenobita in annalibus per Agarenos denotare voluit, qvanqvam non vere et contra civilis hiſtoriae migrationisqve gentium leges: idem de vita S. VViboradae Vngros: multi Ugros, qvos non ſemel imitatur Lazius: ſcriptores rerum Sarmaticarum Iubros appellitant. Chronicon Reichersbergenſe Vngaros ſcribit, et migrationis cauſas reddit ad A. 890. cum qvo iung. Otto Friſing. Chr. l. 6. cap. 10. Nulla enim huius gentis mentio exiſtit ante IX. ſeculum: non qvod non fuerit (fuit enim in Scythia Europaea, ſive Ruſſia, ut videre eſt apud Matthiam a Michou, Alexandrum Gagvinum edition. Piſtor. et Sigismund. Heberſtein, Io. Nadan. etc.) ſed qvia tali nomine ſub hoc Sec. primo venire coepiſſet. Venit adeo in mentem induſtriae Ioannis Aventini, et qvi hunc recte ſeqvuti ſunt, Iacob Spigelii, Fr. Irenici, H. Conringii, qvicqvid de uno atqve altero in contrarium extet, qvos deſtituit accuratior notitia hiſtoriae migrationum. Primum erroris confuſionisqve exemplum referunt ad Siffridum Presbyterum Miſenenſem, qvi ad A. 801. perperam Vngaros exprimit, qvos exprimere Vnnos debuerat. Ac ita ſenſit in not. ad. Egenb. Fridericus Beſſelus: at iam ante eum VVitechindus Corbeiae monachus Avares, inqvit, qvos modo Vngarios vocamus, qvod ſuſpicabor ceteris praebuiſſe errandi occaſionem, inprimis, qvod permutet Avarium et Vngarorum, qvaſi eorundem populorum nomina, l. 1. annal. De Siffrido addo, inſigniter impegiſſe, qvandoqvidem Vngaros 801. hoc eſt, Caroli M. aevo, memorat, qvi Arnulphi ultimi Carolingorum imperatoris aetate emerſerunt primum, et redacta in poteſtatem Pannonia (an Hunnia mavis) agminibus infeſtis tranſierunt in Germanicum agrum. Vt appareat ſerius eſſe Vngariae nomen, et primis, qvae a nato Chriſto memorantur, octo ſeculis ignotum prorſus inauditumqve. Nec tamen ſuſtinebo inficias ire, Vngaros, tanqvam Vnnorum ſucceſſores, propter ferociam moresqve barbaros paene ſimiles, at vero populari ſolum ſermonis genere, ab Hunnis tuliſſe cognomen, ut in Palatinatu ditio Hunesruck, et ore omnium celebrata arx Hunolſtein, teſtantur, de qva vid. Seb. Münſt. ad Rhen. tab. nov. in Hunnorum praeſidio. Tremonienſe Chronicon meminit aqvaticnis Hunnorum, der Hunnentrāncke/ repetitqve eius veſtigia a X. ſeculo in qvod incidit memorabilis clades Vngarorum, qvi parum exqviſite nominantur Hunni Io. Iſacius Pontanus in hiſtoria Gelrica l. 5. p. 67. approbat in Velavia ſupereſſe rudera caſtri Hunnici, ſed ſi accuratius loqvamur, Vngarici, vulgo ex more Belgico Hunnenſchans appellati.

Niſi

Niſi tamen ad ſeculum VI. qvo Hunni in Galliam Germaniamqve excurrerunt, referre praedictum caſtrum placeat, qvod tamen nec innuit Pontanus, nec mihi videtur longius porrigi, qvam ad X. usqve ſeculum. Conf. Georg. Hornius hiſt. Imp. p. 241. Otto Friſingenſis numerum velut locuſtarum, reliqvi ſaevitiam qvaſi beluarum percenſent: ille l. 6. Chron. c. 20. Hermannus Contractus A. 900. ſeq. Qvi Reginonem continuavit teſtis eſt, inſolenter dixiſſe, ſuperari ſe non poſſe, niſi terra forte deglutiret, ad A. 967. addatur VVitichindus A. 1. p. 7. et deinceps, in qvo tamen, ut plerisqve aliis ex medio aevo, deſideramus loqvendi accurationem: Eckardus Monachus S. Gallenſis A. 938. Chriſtianus Vrſtiſius Chron. Baſil. Germ. edit. l. 2. c. 10. ceteros referre, longum foret Vngaricos cum delectu velim legi.

XI. Creſcebat ferocia in dies, et tributo, * qvod iniqviſſime flagitabant exaſperabatur magis, nec cohiberi ante poterat, qvam validos exercitus opponerent noſtri, ne poſthac tam indignis violarentur modis, neve in perpetuam abriperentur ſervitutem, qvum proſpicerent iidem atqve expenderent probe, et ut fieri his rebus ſolet, res alias ex aliis cogitando, it tandem omnes Viris Germanis dignum conſilium caperent, ut iuſto praelio ** expedirent miſeriarum finem.

* *VVitichindus ait l. 1. A.* Legati Vngarorum adeunt regem pro ſolitis muneribus: *regis nomine deſignat Henricum Aucupem Francorum Orientalium Saxonumqve Regem. Multo clarius Sigebertus ad A. 904. confirmat, regnum Ludovici, id eſt, Germanicum, qvod per id tempus geſſit Ludovicus Rex Teutonicus, idemqve Arnulphi filius, vectigale ſibi feciſſe Vngaros. Accedebant tot iniuriae atqve innumerae vaſtationes, qvibus afflixerunt Germanicam rem. Vid. Ab. Stad. A. 909. 910. 913. 915. 917. et ſeq. Conf. Ch. Cario Peucer. l. 4. in Henr. Aucup. et Ott. I. inprimis G. Ens l. 1. rer. Vng. ad A. 920. 932. In Daleminciam, qvam Misniam cum eruditis, non Dalmatiam, cum vulgo interpretor, penetraſſe, ex Monacho Corbeienſe certum eſt: nec minus id de Saxonia manifeſtum, qvod Bremam usqve effuſos fuiſſe, fidem faciat Abbas Stadenſis. De Alemannia, et reliqvis ſuperioris Germaniae provinciis, qvas illi ipſi ferro igniqve vaſtaverant, per ſe liqvet ſatis. Ita nil erat, qvod tot malis usqve defatigatos liberaret,*

niſi

niſi fortuna belli, qvae nunqvam conſtanter indulget , miſeriam hanc cum gaudio commutaſſet, qvo tantam ignominam diverſis praeliis delerent noſtri, praecipue iis, qvae ad Salam non procul Merſeburgo, et ad Lycum vulgo Lech, prope Auguſtam Vindelicum commiſerunt, qvorum alterum Henr. Aucupem, alterum Ottonem filium eius, cognomento magnum illuſtravit, tanta ſtrage Vngarorum, qvanta nunqvam hactenus audita fuerat. Conſ. poſt VVitichind. Corbei. l. 1. et 2. A. Huld. Mut. Io. Nauclerus. Captorum Vngariae Principum ſupplicium eſt apud Script. Chr. Reicherſp. ad An. 955. Recte Gaſp. Ens, pecierant, *inqvit,* niſi periiſſent: *qvippe tantis cladibus domiti ceperunt occaſionem aggregandi ſe Chriſtianorum ſacris, fauſtumqve adeo hoc propagatae religioni ſeculum fuit: Horat. Turſellin. in Ott. 1. Primus partibus Chriſti acceſſit Geyſa, tum Stephanus I. relatus inter ſanctos ob admirabilem, qva eluxit, pietatem, Ott. Friſing. Chr. l. 6. c. 27. Ab hoc arceſſitur initium tituli, REGIS APOSTOLICI: ſaepius qvippe in diplomatum formulis videas.* Unſer Apoſtoliſche Kron. *Sprengerus font. Iur. publ. p. m. 73. repetit loqvendi hunc morem a Vladislao, aſſerens, huic inſigne regium coelitus datum: at contra fidem Vngaricorum et Polonicorum Chronicorum : Vid. Ens d. lib. R. V. pag. 40. Sed qvanqvam hactenus reges et plurimi Vngarorum hauſiſſent doctrinas coeleſtes tamen univerſi demum Henrici II. aevo initiati ſunt myſteriis noſtris inſertiqve Chriſto : Otto Friſing. l. 6. c. 28. Ceteroqvin ad civile inſtitutum hic refert, ut obſervemus , Vngaros, qvi hucusqve vectigales habuerant Germanos, facta inſigni rerum temporumqve commutatione, ad pendendum tributum poſtmodum a noſtris adactos fuiſſe Chronicon Reicherſpergenſe ad A. 921. diſerte tradit, Henricum Aucupem, Vngaros ſibi tributarios feciſſe. Tributarios, dico, non ſubditos, qvum haec longe ab ſe invicem diſtent. Sed multo aliter evenit Henrici III. aevo, qvo fidem obſeqviumqve regno Germaniae devinxerunt, ſed ad tempus exiguum ſervaverunt, ac denuo facti ſunt ſui iuris. Qvorum illud nemo luculentius affirmavit , atqve Hermannus Contractus in Chron. ex Piſtor. recenſ. ad A. 1045. ubi Principes Hungarorum perhibentur, Henrico III. Imp.* iuraviſſe fidelitatem. *Et apud eundem p. 140. legas, regem Andream Henrico declaraſſe parendi voluntatem, ſeu ut ipſe ait,* denunciaſſe ſubiectionem , annuum cenſum et devotam ſervitutem;

ſi regnum ſe habere permitteret. *Sed eorum me plane pudet, qvae adferuntur ex qvaternionibus imperii, qvos vocant, confictis plane et ab inſcito qvodam ſcriba, aut forte monacho diſpoſitis, qvibus memorantur qvatuor ſumma imperii regna, Romanum, Francicum, Polonicum, Vngaricum. Sed qvod hic verba, tot naevi, tot errores. Partim enim regna inſeruntur, qvae neqve tempore Ottonis III. neqve Caroli IV. qvos ex vulgo applauſores reſpiciunt, in ditione imperii Germanici fuerunt: partim regnum Poloniae Vngarico praeponitur, ſed abſurde, qvod illud tanqvam recentius huic velut antiqviori poſt ponendum fuiſſet, ut ſuffragantur nobis evincuntqve deſcripti ordines regum Europaeorum iuxta eam formam, qva olim conſpicui erant in Concilio Bononienſi Anno 1504. et eo editi commentarii ceremoniarum pragmaticarum: Vid. Ceremoniale Iulii Pontificis. Hodie certe riſui omnibus ſit, qvi Vngariam regno Germaniae illigatam putet. Extat publica ſanctio, in qva conceptis verbis negatur, Vngariam, Imperio Germanico annexam eſſe. R. I. A. 1569. §. 69. conferend. cum §. 70. Ibi expreſſa oratione aſſeritur, regnum Vngariae ſuo inniti iure, nec qvoqvam modo addictum aut obnoxium Germanico eſſe:* Da ſolche Landſchafft (das Königreich Hungarn) dem H. Reich Teutſcher nation, in nichts verwandt/ oder zugethan; *hic propter tot lata a Germanis auxilia referendae gratiae exemplum continetur,* daß ſolch Königreich/ und deſſelben angehörige Ständ/ ſich hinwiederumb gegen dem H. Reich/ deſſelben Gliedern und Ständen in fürfallenden Nothfällen auch mitleidentlich und dermaſſen erzeige/ ꝛc. *Qvaerunt hic iuris prudentes, utrum optanda ſit Vngariae cognatio cum Imperio, atqve interior nexus? de civili non concedent Auſtrii, et non conceſſuros, argumento eſt R. I. allegatus: et forte diſſentient Germani; ſi aeterni foederis vinculo adiungi imperio Vngaria vellet: qvanqvam enim id publice ſalutare ſtatui poſſet, tamen non ex vano arbitreris, Ordines Germaniae id recuſare, ac negligere fere, aut repudiare prorſus, qvod non expediat ſingulis, et licet univerſos attineat, tamen hactenus attineat nonniſi ex longinqvo. Qvi cum Boccalino ſuggerunt, non eſſe expetendum, ut recuperetur Buda, in illorum animo parum ineſt pietatis, nec ſentiunt verecunde, nec loqvuntur religioſe. Curioſis hic in memoriam redigio vaticinia de perdendo Imperio Conſtantinopolitano, et poſt liminio deferen-*

ferendo ad Chriſtianos, qvorum meminerunt Gab. Barth. Grammondus et ex eo in pecul. diſſ. Ramſpeckius, nec non Ioannes Lauterbachius tr. de bello contra Turcas ſuſcipiendo Anno 1595. Lipſiae evulgato, reliqva, ut Ioachimi Calabri, et ſimilium, collegit qvidam Anonymus Gallus, qvae in Latinum convertit Ioach. Paſtorius. Sed multum abit Lactantius de div. praem. l. 8. pag. 419. qvo exiſtimaverim fortaſſe, reſpexiſſe ad Imperium Conſtantinopolitanum per Turcas evertendum, ut qvidem perditis Graecorum rebus ſec. XV. everſum eſt. Nil neceſſe eſt hic addere qvippiam de bellis Vngaro-Turcicis, qvae ſuccincte complexus eſt Antonius Mannavinus Genuenſis, ac Latine reddidit Philippus Lonicerus Anno 1584. Conf. Ioan. Leunclavius, Ant. Bonfinius, Hier. Ortelius, qvanqvam hic aliqvando corrigendus eſt ex Nicolao Iſthuanfio : Caſpar Dornavius de incrementis dominatus Turcici.

XII. Multa, nec ea ludicra, aggreſſo opus qvalecunqve reſtant, ſed ea deſino commemorare hic, et, qvod pietatis meae caput eſt, Vngariae * pacem, concordiamqve, bona inter mortales maxima, ſalva ſemper atqve integra ſervari opto, et rerum, qvae hactenus qvidem afflictiſſimae fuerunt, feliciſſimam, REGIQVE IPSORVM, et CAESARI NOSTROglorioſam, REGNO demum utilem ſtabilemqve commutationem precor idem, et vota aſſidue facio, ut LEOPOLDVS in dies votis maiora exhibeat ſingulis atqve univerſis, nec modo VNGAROS, ſed etiam GERMANOS ſoſpites pacatosqve praeſtet, ac in veteri utrosqve ſede ſiſtat pariter ac confirmet.

* *Regnum hoc antiqvum, et multis privilegiis auctum divina ope ſtetit hactenus, et, qvanqvam non exigua ſui iactura, Turcarum impetus ſuſtinuit fortiter repreſſitqve. Qvomodo ad Auſtrios pervenerit, poſt hiſtoricos, et nominatim Gerhardum de Rhoo, expoſuerunt Io. Georg. Kieſſer diſſ. de Habsb. Auſtr. Dom. pag. 178. ſeq. ſcriptor. Phosphori Auſtr. part. 2. §. 6. Melchior Goldaſtus* in der ſumma-

 riſchen

riſchen Anführung / etc. *De qvibus reddere ſigillatim, et iudicare penitius, nimis forte confidentis animi nunc videri poſſet. Sacrae leges, qvibus continetur fundaturqve, deſumuntur ex decretis Andreae regis A.1222. evulgatis et conſtitutione Ferdinandi I. ad forum pertinet decretum, qvod vocant, tripartitum, articuli, qvi dicuntur, et decretum Latino-Vngaricum iuris, qvod appellatur, conſuetudinarii incluti regni Hungariae et Tranſylvaniae Anno 1660. excuſ. Item index, ſive enchiridion omnium decretorum et conſtitutionum regni Hungar. eod. anno Leutſchoviae editum: articuli iuris Tbavernicalis, ut nomen ferunt, Viennae Auſtriorum lucem adſpexerunt. Articuli, qvi ſic audiunt, univerſorum ſtatuum et Ordinum ineluti Hungar. regni A.1668. Pottendorffi emiſſi nervos atqve artus qvosdam publici iuris complectuntur. Regnum, qvod ex Bonſinio colligas, ſub tutela Mariae, Divae genitricis eſt, regium inſigne, ſi regis inauguratio eſt, geſtat prorex, alio nomine Palatinus, illudqve in turri Poſonienſe aſſervatur: praeterea decem ſigna praeferuntur, ſigna inqvam, decem regnorum, qvae continebat olim Hungaria, cum floreret.*